

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

De

PRÆJUDICIIS,

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHILOS. REG. ACAD. AEOENS.

PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQU. PROFESS. REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publice ventilandam s̄isit

ISRAEL FORTELIUS,
Ostrobothnensis.

In AUDITORIO MAJORI Die ~~XIX~~ Decembris.

Anno MDCCCLXXXI.

H. A. M. C.

ABOÆ,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELL.



§. I.

Praejudicia hostes esse humanæ felicitatis acerri-
mos, quorum itaque laqueos cavere, dispellere
nebulas, atque jugum excutere, quanto fieri possit
studio qnemque oporteat, res est confessione omnium
atque consensu agnita. Ex his, tanquam ex insusto
& venenato fonte, non modo errores tam Theologi-
cos quam Philosophicos effluxisse infelicissimos ac pe-
stilentissimos, sed etiam in vitam atque mores homi-
num effusos, miserrime eos vexasse & vexare; plu-
rimorum vitiorum, stultiæ, furorum, malorumque
quibus humanitas afflicta est, in his radicem atque
semina quærenda esse; præstigiis illorum, vi atque
imperio ferreo partem mortalium longe maximam
fascinatam atque oppressam jacere; pauciores,

Quis malorum luto finxit præcordia Titan,
felicioris institutionis beneficio, acriorisque ope at-
tentionis & diligentiae, laxare vincula sua valuisse,
atque in libertatem sese afferere, nec eam tamen ita
plenam, ut non versipellibus istis atque subdolis ho-
stibus tributa subinde pendere, imperiisque eorum
parere, fraude illecti, nonnunquam cogantur: hæc o-

mnia, rerum humanarum diligentior consideratio, & tristis experientia, docere quemque abunde possunt. Mirum itaque haud est, infensissimum Philosophis, veri nominis, cum illis semper intercessisse bellum; ac doctrinam de illis cavendis superandisque, præcipuum in Logicis jam occupare locum, ex quo magno VÆRULAMIO faciem imprimis præferente, insidias illorum detegere latebrasque perquirere, sapientiae cultores diligentius instituerunt. Præclaram *dubitacionis sobriae* medicinam, contra hos mentis humanæ morbos adhibendam, non frustra CARTESIUS commendavit; in originem eorum caussasque vis qua pollut, haud irrito conatu inquisivit LOCKIUS. Quorum triumvirorum, atque discipulorum suorum opera, Præjudiciorum, in varijs Philosophiae provinceis dominatus, infelicibus medii ævi, quod vocant, tenebris ad summum evectus, insigniter fractus fuit; quem in Theologia, Medicina, aliisque artibus, viri fortes perspicacesque, non minus generose diminuerant. Verum, quam pauci sunt, qui signa eorum exemplaque animose sequi, qui sui esse juris, nihilque quod diligenter examinatum firmis niti fundamentis non repererint, assensione comprobare audent, aut omnino valent! Nescio quo modo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur, exquirere (a). Nec vetera modo Præjudicia occæ-

A 2

care

(a) CICERO *Academ.* L. II, C. 3.

care homines & conturbare pergunt; sed nova etiam subinde eos ludificant, ac alium evitare errorem cuperentes, in alium deturbant. Supervacaneum igitur censendum haud est, hac doctrina frequentius tractanda, litterarum studiosos & ad cavendi diligentiam excitare atque acuere, & ad identidem suscipiendas prudenterque faciendas in horum hostium ditionem excursiones, sedulo exercere. Quod mihi etiam animum addidit, specimen studiorum Academicorum edituro, gravi huic argumento persequendo laborem impendendi: cuius consilii ratio cum exquisiti nihil aut perfecti spondeat, ultra veniam L. B. quod aut rogem aut sperem, non habeo.

§. II.

Præjudicij autem vocem, (ut Jurisconsultis veterique Latio familiarem significatum, qui ad nostrum haud pertinet institutum, prætereamus), duplii sere sensu, & Logici doctores & vitæ communis consuetudo, adhibent; latiore alio, alio angustiore. Illo usurpata, *judicium* (*a*) indigitat, quod sine præmisso examinе rei accurato probatum, principiū loco habetur in aliis judiciis atque enuntiationibus vel probandis vel rejiciendis. Ita definita, Præjudicia vel *falsa* esse possunt, vel *vera*; prout temerarium illud quod tulimus *judicium*, vel cum veritate, fortuito quasi quodam

(a) *Vel opinionem; quamlibet igitur CICERO præjedecatam* vocat. *De Nat. Deor. L. I, C. 5.*

dāni casu consentiens, vel ab ea alienum fuerit atque abhorrens. Hujus generis esse vulgi pleræque opiniones solent; quem sententias suas, alias veras, alias fallas, (sive religiosas, sive œconomicas &c.) non sollicitæ inquisitionis diligentia, sed auctoritatis, educationis &c. præjudiciis ut plurimum superstruere, nemo ignorat (b). Hoc generaliore sensu sumtas, *opiniones præjudicatas* reprehendit CICERO (c); eundemque multi recentiorum sequuntur (d). Accu-

A 3

ratis-

(b) Non abludit admodum ab hac significatione, alia illa, qua nonnunquam *suspiciones* vel conjecturas designant, jam ante institutum accuratius operosiusque rei examen, de indole ejus, obiter modo & quasi per transennam spectatæ, formatas; quæ tamen sententiam nostram hactenus ab omni dubitationis errorisque periculo tutam non præstant; qualia præjudicia *legitima* etiam *justaque* appellare, specie sc. probabilitatis haud levi munita, non raro videas. Sic librum edidit PETRUS JURIEU quem vocavit *Prejugés legitimes contre le Papisme* (Amst. 1685, 4:o), & alium nuperius Dn. DE CHAU-MEIX, cui titulum fecit *Prejugés legitimes contre l' Encyclopédie &c.* Cfr. FEDER Logik und Metaph. §. 57 & 77 Log.

(c) Quare jubet *cobibere semper & ab omni lapsu continere temeritatem: quæ tum sit insignis, cum aut. falsa, aut incognita res adprobetur: neque hoc quicquam esse turpius,* dicit, *quam cognitioni & perceptioni adsensionem adprobationemque præcurrere.* Acad. L I. C. 13.

(d) Ex g. HOLLMANN. Log. §. 211. FEDER I. c. & Instit. Log. & Metaph. §. 77 Log. CORVINUS Instit. Phil. Rat. S. 661 & 663 SINIUS Log. §. 176 & 181. Cfr. LOCKIUS de Intell. Humano L. IV, C. 16, §. 3.

ratiſſime loquendo, non omnia igitur judicia temere lata, sed quæ axiomatum instar habentur, ac ad alia vel gignenda & commendanda, vel aspernanda & reſpuenda valent, atquè opinioṇes altius quaſi menti infixæ & auctoritate quadam vigentes, *Præjudiciorum* hic veniunt nomine; veteri etiam & Latino vo- cis uſu huic notioni favente (e). Qualia præjudicia, quamvis non ſemper errantia, quoniam tamen cæca ſunt & cum perpetuo errandi periculo conjuncta, ſapienti homini & veritatis amanti non minus studioſe cavenda merito cenſentur atque formidanda, quam errores ipſi, in quos plerumque ducunt atque turpi- ter nos præcipitant. Dubiaſe enim, fidem atque feli- citatem ſuam, quaſi aleæ committere; intellectus re- pudiato uſu, caſui ſe mancipare; iter difficile, anceps, ſalebroſum, clauiſis quaſi oculis ingredi; vel uiae ra- tionis abjecta face, per rerum tenebras ſecurum ac ſemisomnem aliis ſe pro lubitu duclandum permitte- re;

(e) Cum itaque l.l. c.c. ſciscunt CORVINUS & SINIUS: ſi co- gnitione vera characterum ſubiecti & prædicati judicium quod- dam non nititur, præjudicium dicitur; eſt utique quod in hac definitioṇe deſideres, ut a judicio quoconque præcipiti *Præjudicium* diſcernas. Acutius Cel. FEDER *opinioṇes* vocat male *præconceptas*, & in Germanico ſuo libro an- genommene Meynungen von gewiſſen gemeinſchaftlichen beſchaf- fenheiten der Dinge, oder von gewiſſen perſonen die einen ver- leiten, oſtmals ohne gehörige untersuchein zu urtheilen, ſein urtheil zu beſchleunigen. l. l. c. c. Addit tamen: Dieſe wer- den am eigentličsten Vorurtheile genannt; obwohl dieſer name öfters allgemeiner gebraucht wird.

7

re: nonne humanæ præstantia naturæ indignum, & turpissimæ ignaviae summaque simul stultitiae documentum est? Bene **CARTESIUS**, certum est, inquit, cum assentimus alicui rationi quam non percipimus, vel nos falli, vel casu tantum incidere in veritatem; atque ita nescire nos non falli (*f*); & **LOCKIUS**: si quæ principia vocantur, haud certa sunt, (quod modo aliquo sciendum est, ut a dubiis & incertis distinguantur) verum nobis tantum ista videntur esse, propter cœcum & temerarium assensum, tunc per principia, quæ veritatis fontes aperire debent, in errore magis firmabimur (*g*). Qui vero v. g. Christianæ Religioni, (quam veram esse ex firmis rationibus scire licet), ideo tantum quod cum materno fere lacte sibi instillata sit, nullo examinandi suscepto labore, adhæret; quidni ille Muhammadanam, si a Turcicis ei nasci parentibus contigisset, huncque eundem servaret cæci obsequii morem, studio simili prosequens revereretur? Ac quid est, in quo Turcæ pervicaciam atque inertiam, errores a puero arreptos mordicus tenentis, præ sua, sibi dicta constantia, culpare possit? Itaque patet, sive quis opiniones revera falsas, sive casu quodam veras, temere atque cæca assensione incuriose arreptas probet; in eandem illum inconsiderantiae culpam incurrere (*h*): & genus igitur opinionum utrumque,

ante

(*f*) *Princip. Philos.* P. I., XLIV.

(*g*) L. c. C. XII., §. 5.

(*h*) Valet enim de veritatibus malo superstructis fundamento, quod de temere adoptatis falsisque rerum phy-

ante examen, atque disjunctionem earum institutam indivisum, ejusdem interim esse pretii, eadem reprehensione, eodem odio, eodemque nomine dignum, a Philosophis merito censendum (i).

§. III.

sicarum causis dixit FONTENELLE: "Il ne suffit pas de tenir une vérité; il faut aussi, quand on veut la suivre un peu loin, en tenir la véritable cause; autrement la fausse cause d'une vérité revient à enfanter des erreurs, ses productions naturelles". *Eloge de M. Guglielmini*, Oeuvr. (Paris 1767, 8:o) T. V, p. 284.

(i) Contrarium plane docere videtur HOLLMAN-NUS l. c. hæc asserens: *manifestum est, præjudicia omnia non statim inter errores referri, nedum uno eodemque cum illis loco haberi debere, uti a plerisque fere omnibus quidem fieri observavimus.* Solidissime enim quæque veritates, quæve ex evidenter demonstrari principiis possint, præjudicia apud illos possunt fieri qui vel illarum principia & fundamenta plane ignorent, vel, si maxime non ignorent, ob aliorum tamen magis auctoritatem, quam illarum cum suis principiis nexus, pro veris reputent & agnoscant: quale quid in gravissimi momenti rebus ipsisque primariis religionis capitibus, quotidie perquam multis contingere, experientia satis docet. Qui in not. (b) addit: *Apud plerosque enim ex plebe, & qui eodem hactenus cum iisdem loco sint, quicquid de gravissimis religionis, cum naturalis tum revealatae cuiuscunque capitibus, pro vero habeant, præjudicium merum est.* Hinc cœcus ille plerorumque assensus; hinc religionis in qua quisque natus educatusque sit, pertinax defensio; hinc avita illa fides; hinc plerorumque religionum martyres; hinc spiritus ille persecutionis in aliis; &c. Sed considerat ille præjudicia ut in hominibus aliis a nobis spectari debent, nos autem cum reliquis Logicis, qualia in

§. III.

Angustiore autem quoties vox præjudicij adhibetur significacione, ad solas restringitur *opiniones errantes*, sive *judicia temeraria* (principiorum tamen loco recepta), quæ a veritate simul abhorrent: quam notionem plerique jam adoptare solent Logici (a);

B

tum

nobis met ipsi habitantia, a nobis censenda sint, qui in tenebris quasi ambulantes, quænam illorum vel falsa vel vera sint, discernere haec tenus nequimus, adeoque omni bus æque dissidere debemus. Nemo enim ipse præjudicia sua, quantum hac auctoritate valent, alia falsa potest existimare alia vera. Ac cum de solidissimis ille veritatibus loquitur, quæ præjudicia apud homines esse possint; clare patet, illum eas, ut ab aliis acutioribus hominibus cognoscuntur, spedire: veritas enim omnis in se æque solida, pro cognoscentium majori perspicacia hujusmodi gradus admittit. De aliorum autem præjudiciis tractandis ac vincendis, alias præcipietur.

(a) Præente Illustriss. BACONE DE VERULAMIO, auctore in hac doctrina præcipuo, qui Lib. V. de Augm. Scient. C. IV, præclare: *Sunt inquit Idola* (ita præjudicia appellat) *profundissimæ mentis humanæ fallaciæ*. Neque enim fallunt in particularibus ut ceteræ, *judicio caliginem offundendo, & tendiculas struendo*; sed plane ex prædispositione mentis prava & perperam constituta, quæ tanquam omnes intellectus anticipations detorquet & inficit. Nam mens humana (corpore obducta & obscurata) tantum abest, ut speculo piano, æquali & claro similis sit, quod rerum radios sincere excipiat & reflectat, ut potius sit instar spectuli alicujus incantati, pleni superstitionibus & spectris. Et Nov. Org. Arbor, XXXVIII: *Idola & notiones false quæ*

tum quod ut *errores præjudicatæ* opinione*s* præcipue nocent ac timentur, tum quod magna illarum pars, ac eæ in primis quas caveri ex uique diligentissime jubent, ad errantium familiam revera pertinent. In qua vero ratione minus accurate versantur, qui quodvis *judicium erroneum per præcipitati*m* latum*, mox esse præjudicii nomine appellandum docent (b); cum, si fontis quasi instar perennis, e quo novi errores novaque veritatis recipienda obstacula scaturiant, non simul considerentur, hoc nomine insigniri haud soleant: aliter inter *præjudicia & reliquos errores* (quorum omnium communis mater præcipitatio in *judicando habenda est*), nullum discrimen, quod usus tamen vulgaris induxit, relinqueretur. Melius itaque ali*s* præjudicium, strictiori sensu sumptum, *errorem primitivum* definiverunt, *principii loco in judicando positum* (c); & aptissime Cel. SEYDLITZ, Ich
bejetch-

Intellectum humanum jam occuparunt, atque in eo alte borent, non solum mentes hominum ita obsident ut veritati aditus difficilis pateat; sed etiam dato & concessu aditu, illa rursus in ipsa instauratione Scientiarum occurrent & molesta erunt, nisi homines præmoniti, adversus ea se, quantum fieri potest, muniant.

(b) Ex. g. III. WOLFIUS *Philos. Rat. f. Log.* §. 101.

(c) WALLERIUS *Comp. Log.* §. 176. FRÖLING *Index viæ ad verit. f. spec. Log. Reform.* P.II. §. 3. Quamquam vox erroris *primitivi* (s. in alio priore non fundati, ut eum definiunt), non admodum nobis placet, qui non credamus omnia *præjudicia* esse alia ab aliis plane independentia. Quam primum *judicia mentis* citra examen de-

bezeichnet mit diesem namen irrige und habituell gewordne Meynungen, die man ohne verumstige prüfung als wahr angenommen hat (d): cuius ope definitionis, *præjudicia* a cæteris *erroribus* quibuscumque, vel ex judicandi temeritate, vel ex falso ratio-
cinio ortis, facile & accurate distinguuntur, qui alii
alios solent assidue beneque longa serie parere, ne-
cessaria haud raro ac evidenti consequentia inter se

B 2

con-

bitum lata, in habituales transferunt opiniones, erroribus efficaciter faventes, *præjudiciorum* nomine esse in-
signienda censemus, sive primitiva sint, sive ab aliis ad-
huc prioribus originem ducant; nam successionem quan-
dam inter illa locum haud raro habere, certum est.

(d) Ueber die Untersuchung des wahren und irrgen §. 343.
Cum quo concinunt THOMASIUS Eiul. zu der Vernunft-
Lehre, XIII Hauptst §. 38, dicens: die Vorurtheile sind nicht
anders als falsche Meynungen die uns von erkäunß der wahr-
heit abführen, welche sich der mensch ohne ursache wahr zu
seyn heredet, weil er aus leichtgläubigkeit von andern, deren
autorität er getrauet, deßen heredet worden, oder weil er aus
ungedult und darauf erfolgter übereitung sich deßen selbst her-
det; & DE CROUSAZ, cuius verba sunt: "Il y a un très-
grand nombre de propositions fausses que l'on confond
néanmoins avec les notions communes, auxquelles on
se rend de même sans balancer, & sur lesquelles on ap-
puie ses raisonnemens, toutes les fois que l' occasion
l'en présente. Comme les vrais principes sont les premières
sources de toute la verité qui se repend dans nos
conclusions; les faux principes en prenant la place des
vrais, sont la principale & presque l' unique cause de
tous nos egaremens." Syst. de Reflex. ou Log. P. II, C.
VI, §. 1.

conunctos. Angustior jam hæc præjudiciorum appellatio, licet commoda ratione non careat; tamen aptius nos *latiorem* esse retinendam judicamus, utpote usus omnino amplioris. Philosopho enim, qui ex periculis valde tenebris ad lucem contendere cupiat, omnem opinionum temeritatem summopere esse metuendam & pro virili profligandam, ostendimus: cumque iisdem omnino adjumentis adhibitis, & falsa ejificantur præjudicia, & cæcarum opinionum quarumcunque (partim verarum partim falsarum), turpis & formidolosa dominatio refringatur, atque sic generis utriusque & cavandi & vincendi, communis sit præceptio, contra utrumque genus æque utiliter adhibenda; nescio cur hæc opera divelli, ac ratio veterum, qua conunctim spectantur, sit omnino in hac doctrina a nobis deferenda (e). Peculiarem & soli sibi

(e). Præcipere enim debet Logicus, (veritatis felicitate cognoscendæ rationem ac viam demonstratorus), non modo ut *falsarum* opinionum viviradices evellamus ex animo, nec invalescere eas sinamus, sed etiam ut omnem assentiendi atque opinandi cæcam temeritatem fugiamus. Non decet Philosophum (veritatis investigandæ studiosum; his Logica scribitur), opiniones non examinatas, undecunque sibi infusas, securum devote suspicere, donec ab alio sibi *falsitas* earum fuerit probata; sed sua sponte debet in principiorum suorum, quibus dicitur, rationes & veritatem inquirere: vel sola temeritas eorum debet eum inquietare. Prudenter igitur odiosum & metuendum *præjudiciorum* nomen, non opinionibus tantum falsitatis convictis, sed omnibus omnino haud exploratis

fibi adoptatam præiudicium notionem informat Cel. HOLLMANNUS, cum ad sententias illud restringit ob solam aliorum hominum auctoritatem pro veris habitas. Qua definitione optime ideam illam quam omnes voci huius subjiciunt, exprimi, frustra putat (*f*): nam licet plurimam præjudiciorum vim quæ animos occupant humanos, ex cæca alienæ auctoritatis veneratione fluxisse, haudquaquam negemus; de omnibus tamen, quæ eosdem fascinant, opinionibus, idem statuere minime licet, quas prima rerum specie capti nimis festinanter imbibimus, vel præ imbecillitate mentis, vel ex ignavia, vel cupiditate aliqua judicium nostrum præcipitante. Quales opinones, cum principiorum instar, alia deinde animi judicia regunt; communi præjudiciorum nomine nemo non appellat (*g*).

B 3

§. IV.

& temere receptis, impónitur; adeoque hæc vox, (ad stipulante etiam ejus etymologia & vulgari usu), latiore sensu merito adhibetur. *Angustioris* illius commodus vix esse usus potest, nisi cum Philosophus sua præjudicia jam eluctatus, ad aliorum quoque illa quæ errantia esse ipse deprehendit, evellenda manum studet adhibere auxiliaricem. *Nostra enim*, (ut monuimus) quamdiu *Præjudicia* sunt, pro *erroribus* agnoscere, adeoque ex hac ratione debellare non possumus: quamprimum autem *errores* esse animadvertisimus, *Præjudicii* auctoritatem jam amiserunt.

(*f*) L. c. §. 101 & 102.

(*g*) Sic ex. g. odio in aliquem ob injuriam illatam concepto, tæpe in sinistrum de ingenio ejus judicium ferendum homines impelluntur; quod ubi inolevit, o.

Fontes atque causas si indagare voluerimus Præjudiciorum, (sive opinionum illarum quibus mens nostra obsidetur principalium atque habitualium) proximam quidem eamque omnibus communem in properato, ante indolem rei cognitam, judicio & assensu, sive *Præcipitantia* judicandi & assentiendi, sitam esse, dubio caret (a). Hujus autem *Præcipitantia* porro investigaturi natales, e prima usque conditio ne hominum, hunc mundum ingredientium, ipsiusque naturæ nostræ imbecillitate, esse repetendos, facile reperimus. Antiquissimas enim ideas atque sententias nostras prius arripuimus, quam easdem examinandi vi atque facultate adhuc polleremus. Defectus nempe judicii & rationis in infantia, facit ut cæca fide cuncta

mnia ejus facta, dicta, asserta, (neglecto eorum examine), isto *præjudicio* occæcati, temere improbant; quod ex *authoritatis alienæ* veneratione tum quidem profici sci, nemo dixerit.

(a) Minus igitur accurate *Præjudicia* in *præcipitantia* & *Auctoritatis* dispescuit THOMASIUS l. c. §. 41. quod neque a posteriori genere *præcipitantia* abesse potest; quam primum *præjudicij* nomen opinioni alicui impo nitur, illam temere, scilicet debito neglecto examine, atque ante rei indolem cognitam, fuisse conceptam, adeoque *præcipitato* ex quacunque causa nisi judicio, arguitur. Nempe latissimo sensu, vox *præcipitantia* a Logicis usurpatur; quo acceptam, matrem etiam omnium errorum diximus. Cfr. DE CROUSAZ l. c. Ch. VII, §. 1.

35

cuncta amplectamur, quæ ab aliis, ea ætate nobis inculcentur; ceræque instar mollis, mens nostra omnes illas quasi formas recipit, quæ sibi imprimuntur. Hinc ingenti semper præjudiciorum vi animus repletus est, antequam inter vera falsaque discrimen facere accuratum didicit; *præcipitantie* generi obnoxius plane involuntario, quodque cavere, ipsius ætatis vitiæ, nulla ratione potuit. Ex fortunæ igitur quasi pendet cujusdam favore, vel prolixiore vel tenuiore, ac seculi, gentis, conditionis, educationis &c. felicitate majori minorive, quanta horum Præjudiciorum pars, vel ad verorum, vel ad fallorum, pertineat familiam. Opiniones interim hujusmodi, avidissime haustæ ac mentibus altissime infixæ, successu temporis, crebrique usus & repetitæ approbationis vi inculcatæ, ingentem tandem nanciscuntur auctoritatem, atque cum notionibus mentis communibus, indubitateisque veritatis principiis, ita confunduntur, ut de illarum firmitate neque catifam neque potestatem sibi esse homines existimant, vel suspicionem aliquam concepiendi (*b*). Egregie **CARTESIUS**, in prima, inquit, ætate mens ita corpori fuit immersa, ut quamvis multa clare, nihil tamen unquam distincte percepit; cumque tunc nihilominus de multis judicarit, hinc multa hau-
simus

(*b*) Huc pertinet, inter alia, usus verborum nihil significantium, vel utentibus non intellectorum, quæ maxima tamen veneratione prosequuntur, ac vehementissime etiam pro iis contendunt, neque aut eripi sibi illa, aut ad fixum & distinctum significatum redigi, patientes.

simus præjudicia, quæ a plerisque nunquam postea deponuntur (c). Et alio loco: mille præjudiciis a prima infantia mens nostra imbuta est; quæ deinde in pueritia non recordabatur sive a se sine sufficienti examine recepta, sed tanquam sensu cognita, vel a natura sibi indita, pro verissimis evidentissimisque admisit (d). Unde simul ratio patet, cur & in universum hæc præjudicia sint superatu difficillima, & grandioribus maxime natu, longo usu atque conseruacione, venerandis quasi hisdem adiuv-

(c) L. c. XLVII.

(d) Ib. LXXI. Acutissime & pulcherrime, pro more suo, totius hujus rei rationem explicat fusiisque persequitur LOCKIUS l. c. L. I., C. III. §. 22--26; unde quædam tantum verba exscribemus; "Quo pacto contingere revera potest, ut dogmata, quæ non ab alia origine quam inani nutricis religione, aut anili superstitione fluxerunt, progressu temporis, habitis vicinorum assensionibus, in Principiorum dignitatem amplissimam, tum in re religionis, & morum, adolescere possunt. Illi, enim quibus pueros recte (ut dicunt) instituere curæ est (& quidem pauci sunt, quibus principiorum quæ credunt definitus numerus ad id ipsum haud suppetit), puerorum animos incertos, & nullis adhuc opinionum præjudiciis imbutos (tabula etenim rata facile quosvis characteres suscipit), iis quas credi ab ipsis & retineri volunt, doctrinis imbuunt. His ita in animum instillatis, quam primum vis rationis lucere incipit; & postea cum adolescit ratio, per illorum omnium, quibuscum confirmatis, (aut eorum saltē, de quorum sapientia, scientia & pietate optimam opinionem habent, qui de iis propositionibus nunquam mentionem fieri patiuntur, nisi

adsvetis, ægerrime possint extorqueri (*e*). Vis autem eorum tanta fit, ut non modo ad sententias veritatis manifestissimæ, iis minus consentaneas, saepe absque ullo exhibito easdem vel considerandi conatu, repudiandas valeant, ac absurdissima contra placita obsequiose amplectenda; sed etiam sensum ipsorum fidem interdum minuant; quod vel stolidum *Transubstantiationis* dogma (re & nomine æque barbarum), a Pontificiis adoptatum, luculenter docet (*f*). Quo igitur universalioris sanctiorisque principii iisdem tribuitur dignitas, eo & plus noxae adferant, veritatis pluribus excludendis, errorumque majori multitudini aditum muniendo, necesse est. Quare illa quæ præjudicia *Auctoritatis*, dici solent, perniciosum in primis in homines dominium exercent; quod, ut omni fere animi judicio exuto, aliis fidem nostram serviliter obligemus, efficiunt. Ab aliorum nempe auctoritate, primis annis toti necessario pendentes, &

C

per-

quatenus religionis & morum sedes sunt & fundamenta); hoc pacto evenit, ut indubitatarum, per se manifestarum, & ingenitarum veritatum nomen adipiscantur." Etc. Cfr. etiam L. IV, C. XVI, §. 1, 2, 3.

(*e*) Magnæ enim multicudini sunt interim ad sociatæ idearum & opinionum aliatum; atque sic, factione quasi potente sibi comparata, hujus conjunctis propugnantur viribus. Accedit, quod senes sibi turpe non raro putent, sententias tamdiu fotas, laudatas, commendatas, (magno saepe strepitu & vehementia), dimittere ac pro erroribus agnoscere, vel cæcas saltim ac temerarias fateri,

(*f*), Cfr. LOCKIUS I. c. C. XX, §. 8.

perspicaciam illorum atque sapientiam præ nostra experti, nimis illi reverendæ adfrevimus; ita fit, ut ab illa recedere, propriisque confidere luminibus, ne adulta quidem ætate audeamus, sed credere semper libentius quam examinare pergamus. Nec parum late serpunt incommoda quæ ex Præjudiciis oriuntur *sensuum*, quorum lucidissimo testimonio confidere doctus animus, ad externam, qua illis sese res quæcumque objiciunt, speciem nimis facile amplectendam proclivis factus est, atque temere illam non raro pro perpetua atque tutâ habet dijudicandæ veritatis etiam internæ norma. Cfr. CARTESIUS I. c. §. LXXI (g).

§. V.

Infantiæ autem nostræ communi huic sorti atque imbecillitati, accedunt caussæ plures, aliæ alios færiori præjudiciorum subjicientes dominationi. Quo perti-

(g) Bene de CROUSAZ I. c. C. IV, §. 2. "Les hommes dans l'enfance, & une grande partie pendant toute leur vie, ne jugent des choses que sur le rapport des sens. Or nous avons déjà remarqué que nos sensations ne nous donnent point de justes idées des choses; ne les connaissant donc pas, les supposant au contraire différentes de ce qu'elles sont, on leur attribue ce qu'elles ne renferment point; le langage a suivi & autorisé ces fausses suppositions, & à force de répéter des propositions qu'on avoit d'abord reçues sans examen, on se les est rendues si familières qu'on les a prises pour des notions communes & des principes du Bons sens."



pertinet multorum *stupor*, per totam vitam ultra infantiae conditionem, qualem descripsimus, vix assurgentium. Naturam experti minus fautricem, aut felicioris educationis beneficio destituti, litterarumque carentes luce, eunt hi qua itur, vivunt ut vivitur, præjudiciis ut legibus reguntur; majorum morem & instituta, suæ rationis loco, qua uti nesciunt, obsequiose venerantur. Otium plerisque deficit, ingenio excolendo necessarium, judiciique aciei ita acuendæ, ut cortice temeriarum opinionum perrupto, ad ipsum valeat veritatis nucleus penetrare. Primis summisque vitæ necessitatibus comparandis omne fere tempus omnemque laborem impendere coacti, intra angustos suæ artis limites cogitationes suas coercent & desigunt; reliquis in rebus aliorum auctoritatibus confidere parati. Quorum ignoscendum sane est animi habitudini atque inseitiæ (a). Experientia fere sola, ubi

C 2

mani-

(a) Praecitate horum conditionem depingit LOCKIUS I. c. L. IV, C. XX, §. 1, dicens: "Argumentis destituntur, quibus deest opportunitas ad experimenta facienda circa propositionis cuiusvis veritatem, ac ad colligenda aliorum testimonia & ea expendenda: quo in statu sunt generis humani pars longe maxima; quorum agitur ætas in iis comparandis quæ ad victum conducunt, atque egestatem miseram sustentandam. Horum opportunitates ad scientias & veritatem investigandam non minus angustæ sunt, quam fortunæ; nec cognitionem amplexari possunt, qui tempus omne consumunt in iis querendis quæ necessaria sunt ad placanda ventrum suorum jejunia,

manifestissime præjudicatarum opinionum auctoritatî aduersatur, in horum hominum mentibus conuertere eam atque minuere aliquantum valet. Alii, præ *Ignavia* (*b*) atque incuria, labore molestiamque attendendi & examinandi defugientes, credere quam scire

aut liberorum famem importunam sedandam. Undam
is qui per ævum omne in arte laboriosa occupatus tene-
tur, ingentem rerum varietatem per terrarum orbem,
perdiscret magis, quam equus clittarius, qui per vi-
am angustam ad mercatum tantum agitur, regionis istius
Geographiam sciret? Nec magis concipi potest, unde-
nam is, cui otium, libri, linguae atque hominum eru-
ditorum commercia desunt, ea testimonia & experimen-
ta colligeret, quæ necessaria sunt ad plurimas, imo ple-
rasque omnes propositiones probandas, quæ in commu-
nitate hominum maximi momenti esse perhibentur, aut
certitudinis fundamenta tanta reperiret, quantum nobis
momentum est, ut, quæ in iis fundantur opinionibus fi-
dem habeamus." (Verba exscriptissimus ex Latina libri ver-
sione, Lond. 1701 Fol.; quamvis satis imperite facta,
ita ut saepe, auctorem recte intelligere volenti, ad tex-
tum Anglicum recurrere opus sit).

b) *Latissimo* sensu hanc vocem interdum sumunt
Logici, *ignaviam* appellantes quotiescumque homo, qua-
cunque de caussa, "omittit suam ad objectum datum ad-
plicare attentionem" (WALLERIUS l. c.); quo pacto eti-
am infantibus, nonnisi debili admodum attendendi po-
testate adhuc præditis, objici possit. Itaque hujusmodi *ignaviam* solent *præcipitantiæ*, ut æque generalem præju-
dicatorum cognitorum caussam, adjungere. Sed nos
angustiorem præferimus significationem, qua desidiaz, si-
ye laboris odio pravo æquipoller, Non omissa tantum

scire malunt. Non enim exquiritur recte veritas, si ne insigni adhibita cura atque industria; a qua alieni, multi vel primam rei cujusque oblatam sibi speciem, vel aliorum auctoritatem, quos judicio & perspicacia præpollere existimant, securi amplectuntur (c). *Auctoritati namque credere, magnum compendium, parvus labor.* Hi, ubi consentientium præterea magna caterva (eandem opinionem æque temere amplexorum) vident se quasi stipari, commendanteque plurimorum laude suas partes valde extolli audiunt, præjudicia sua pro firmissimis habere veritatibus nullo modo dubitant; tam parvo labore se earum sibi collegisse thesaurum, in sinu gaudentes. Quam rationem in rebus obscurioribus subtilioribusque, quæ maxi-

C 3

mam

attentione, sed etiam haud recte adhibita, temere judicamus: ut cum propensionibus affectibusque animi ad alteram tantum quasi objecti (ut loquuntur) faciem considerandam abripimus, quam spectamus nonnunquam attentissime; ignaviae aut desidiae tum quidem minime accusandi, sed diligentiae non integre adhibitæ.

(c) "Mens nostra, non sine aliqua difficultate ac defatigatione, potest ad illas res attendere; omniumque difficillime ad illa attendit, quæ nec sensibus nec quidem imaginationi præsenria sunt; sive quia in primis annis, cum tantum circa sensus & imaginationes occuparetur, majorem de ipsis quam de cæteris rebus cogitandi usum & facilitatem acquisivit. CARTESIUS I. c. LXXIII. Conferenda omnino sunt quæ præclarissime de hac re disputat LOCKIUS I. c. §. 6. (longior autem est locus, quam ut adponere eum liceat); nec non HOLL-MANNUS I. c. §. 206.

mam tamen poscunt examinandi diligentiam, potissimum sequuntur (*d*). Alii denique *animi* sui *propensionum*, *cupiditatum* & *affectionum* vi imperiose acti, in opiniones cæci conjiciuntur quæ iis maxime favent. Vertunt illæ animi attentionem totam ad eam rei partem quæ sibi placeat, atque ab opposita consideranda valide cohibent; ideasque & opiniones sibi gratas, menti sæpissime objiciunt, atque efficaciter imprimunt: unde hæ, quamvis levissimis adjutæ argumentis, totam mentem subjugant & obsident, in genus ita præjudiciorum perniciacissimorum abeentes, superatuque difficillimorum, quod oppugnari non possint, nisi sensu simul acerbissimo animus afficiatur & quasi saucietur (*e*).

Propositum erat plenius hoc argumentum persequi, atque de cavendis etiam curandisque his intellectus humani morbis disputare; sed temporis angustia pressi, hic abrumpere filum, atque alias diligentiae ista pertractanda relinquere cogimur.

(*d*) *Hebetudini* atque *ignaviae* huic plerorumque hominum tribendum est, quod tam facile iis opiniones, quæ modo cupiditatibus suis non adversentur, infundi possint. Si quem, ipsum de veritate assertorum suorum intime persuasum, graviter aliquid affirmantem audirent, nullis licet rationibus suffultum, vix assensum cohibere valent, aut ante fidem iis tribuendam spatium sibi deliberandi sumendum putant. Quam propositionem sæpissime repeti audierunt, nunquam licet argumentis idoneis adjutam, eam tandem memoria complexi, probatam sibi rentur, & pro veritate firmissima temere receptam, pertinaciter etiam defendere non dubitante.

(*e*) Cfr. LOCKIUS I. c. §. 12.

CORRIGENDA.

Pag. 6. not. (*e*), l. r. CORVINUS, addet: *judicium per præcipitatem latum* vocatur *Præjudicium*.